



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

XXIV. Contra occupantes bona locorum Terræ Sanctæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXI. Octobris MDCXC. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XXIV.

Confirmatur, & innovatur Constitutio Urbani VIII. approbans Constitutiones contra occupantes, vel ad alios usus convertentes bona Locorum Terræ Sanctæ.

De hujusmodi locis vide Const. ed. 1690. Octob. 21. Pont. 2. & Inn. XII. Const. ed. 1695. Febr. 24. Pont. 5.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 10. Nov. 1690. An. 2.

Exordium.

EX injuncto nobis cælitus Apostolicæ servitutis munere illa, quæ a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris pro fidei bonorum ad sacra loca spectantium conservatione piè, provideque emanasse noscuntur, ut solidiori robore perrennent, Apostolice muniminis nostri præsidio, cum id a nobis petitur, libenter constabimus.

Summa Constitutionis Urbani VIII. confirmantis illas Sixti V., Pauli V., & Greg. XV.

§. 1. Dadum siquidem fel. rec. Urbanus PP. VIII. prædecessor noster piorum locorum tam in Civitate Hierusalem, quam extra eam in tota Terra Sancta existentium indemnitati consulere volens, re. me. Sixti V. & Pauli etiam V., ac Gregorii XV. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, tunc suorum in simili forma Brevis literas super prohibitione quibusvis personis facta sub excommunicationis Majoris latæ sententiæ pena, ne quævis bona ad loca præfata spectantia indebite apud se retinerent, vel in alios usus, etiam quantumvis pios, & urgentes converterent, vel alias quoquo modo distraherent, emanatas auctoritate Apostolica confirmavit, & approbavit; & nihilominus omnibus, & singulis utriusque sexus personis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub eadem excommunicationis majoris latæ sententiæ pena, a qua non nisi ab eo, vel Romano Pontifice pro tempore existente præterquam in mortis articulo absolvi possent, districte præcepit, & mandavit, ne de cætero cujusvis generis bona ad loca hujusmodi spectantia quovis prætextu, causa, vel occasione apud se retinere auderent, seu præsumerent, sed illa eisdem locis seu illorum Agentibus realiter, & cum effectu restituerent, & alias, prout uberius continetur in ipsius Urbani Prædecessoris literis desuper in eadem forma Brevis expeditis, tenoris, qui sequitur, videlicet: Urbanus PP. VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Alias (reliqua vide

Constitutio Urbani VIII. contra occupantes dd. bona sub pena

Bullarii Rom. Contin. Pars VI.

suo loco) Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 18. Junii 1644. Pontificatus nostri anno vigesimo primo. M. A. Marialdus.

§. 2. Cum autem sicut dilectus alius Bernardus Josephus a Jesu Maria fr. expresse professus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, ac Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Concionator, nec non Tribunalis Sanctæ Inquisitionis Qualificator, ac Commissarius, & Procurator Generalis in Romana curia totius familiæ ejusdem Terræ Sanctæ nobis nuper exponi fecit in diversis Christiani orbis partibus plerique res, & bona ad loca hujusmodi spectantia non sine gravi animarum suarum pernicie, ac eorundem locorum damno occupare minime timeant, ac proinde ipse Bernardus Josephus quo præfata Urbani Prædecessoris literæ exactius de cætero observentur, illas per nos confirmari, & innovari plurimum desideret: Nos piis ejusdem Bernardi Josephi votis hac in re quantum cum Domino possumus, benigne annuere, ipsamque Bernardum Josephum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus extitit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præsertim Urbani prædecessoris literas, omniaque, & singula in eis contenta, dictæ auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

excommunicationis majoris Pontifici reservatæ. Preces Commissarii, & Proc. gen. Minor. de Obs. Terræ S.

Confirmatio, & innovatio relatæ Constitutionis Urbani VIII.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes pariter ipsas præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter, & inconcussè observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in præsertim Urbani Prædecessoris literis concessa sunt non obstat, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die X. Novembris MDCXC. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Eduntur quædam Ordinationes pro tutiori custodia librorum Capellæ Pontificiæ.

XXV.

Extat alia Ordinatio Innoc. XI. Constitut. ed. 1687. Octob. 15. Pont. 12., & Inn. XII. Const. ed. 1699. Julii 16. Pont. 9. confirmantur quedam Decreta.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 14. Nov. 1690. An. 2.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Collegium, & Cantores Capellæ nostræ, quod

Constitutio Inn. XI. contra extrahen-